



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. V. De rebus præscriptionis incapacibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013

inspicitur & quo solvitur. Imò etiam aliquando in titulo emptionis sufficit titulus existimatus, ut si servo meo, aut procuratori mandavi, ut rem emat, si eam mihi tradat asserens se eam meo nomine emisse, ita decisum est *L. 11. ff. pro emptore*, rationem dat Haunold. *n. 234.* quod tunc principalis sit in bona fide, quantum enim in ipso erat, plus ab eo exigere non poterat tempore mandati dati.

Tertio ut currat ordinario tempore præscriptio servitutis realis continuæ, id est habentis actum continuum, ut aquæ ductus, nullus est necessarius titulus, sed sufficit scientia & patientia Domini, *Ex L. 10. ff. si servitus vindicetur*. Quia patientia scientis Domini secundum Leges est consensus interpretativus.

Dixi primò *realis*, quia servitus personalis ut ususfructus sine titulo non præscribitur tempore ordinario, quia à regula generali requirente titulum nullibi excipitur.

Dixi secundò *continua*, nam discontinua, seu discretæ, hoc est, cuius usus & actus fiunt per intervalla (ut sunt actus pendentes ab actione hominum, ut pecorum ductus, pastus, venatio, iter, quo nomine in iure venit jus ambulandi hominis, actus, id est, jus agendi, vel jumentum, vel vehiculum, via seu jus eundi, agendi & ambulandi) non datur præscriptio absque titulo, nisi tempore immemoriali fuerit talis servitus, ita docet praxis, quam passim tribunalia sequuntur apud Haunold. *n. 226.*

Quartò ut præscriptio longissimi temporis, nempe 30. aut 40. annorum valeat, non tenetur possessor ullum titulum allegare, aut probare, quia jus præsumit justum præcessisse ita *Cap. ad aures. de præscript. & L. 4. Cod. de præscr. 30. aut 40. annorum*. Duo autem requiri ad hanc præscriptionem dixi in fine *numeri 177.*

§. V.

De rebus præscriptionis incapacibus.

179. **Q**uarta conditio ad præscribendum necessaria est capacitas rei: unde cum favore legis humanæ sit introducta præscriptio, si lex humana aut aliorum aliquas eximit, illæ præscribi nequeunt.

Observat autem *Less. L. 2. c. 6. dub. 15.* duplicis generis esse res, quæ secundum jus dicuntur non posse præscribi:

quædam quia tempore ordinario non usucipiuntur, ut res furtivæ, & vi possessæ
 §. *furtivæ Instit. de usucap.* hæ enim licet à fure ob malam fidem nunquam præscribantur, uti nec à tertio tempore ordinario, bona etiam fide à fure eas accipiente, ab eodem tamen præscribuntur tempore longissimo, ita communiter Doctores *ex L. sicut in rem Cod. de præscr. 30. vel*

30. vel 40. annorum. Item res fisci nequit usucap. §. *res fisci Instit. eod.* atamen etiam bonajam fisco incorporata præscribuntur annis 40. *L. omnes Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum.*

Aliæ autem sunt quæ nullo modo possunt præscribi ut sunt res publicæ seu publicis usibus deputatæ ut pontes, forum, via publicæ, limites Provinciarum, Episcopatum, & Parochiarum, si sufficienter constet fines alios fuisse præfixos *Cap. super eo de Parochijs.* Extende primò ad ea, quæ coherent finibus E. g. ad ripam fluminis terminantis Provinciam &c. *cit. c. super eo.* Extende secundo ad præscriptionem immemoriam Abb. in *Cit. Cap. 4. n. 1.* ob textum generalitatem, & rationem ob quam jus salubriter sic statuit nempe ad lites cavendas de finibus.

Dixi si sufficienter constet. nam in dubio est melior conditio possidentis August. Michel tom. 2. *Theolog. Canonico-Moral. p. 1. tract. 1. §. 4. punct. 4. n. 15.* ubi notat cum aliis ripam fluminis limitantis posse præscribi, quoad proprietatem, modo sic inconcussa in ratione limitis. Immunitas à subditis contra Prælatum ne visitentur, vel ne tempore visitationis debita procuratio solvatur. *Cap. cum ea officio de præscript.* Spectantia ad recognitionem supremæ potestatis, obedientia contra superiorem *Cap. cum non liceat eodem,* nec à laicis jus decimandi: *Cap. 15. de decimis & Cap. 7. de præscript.* (nisi forte tempore immemoriali jure præsumpti tituli *Cap. 1. de præscript. in 6.*) immunitas verò à solvendis cum titulo est præscriptibilis annis 40. Hinc passim consuetum est non dare decimas de feno, herbis &c. & ju-

ra Episcopalia posse præscribi etiam à Prælati inferioribus communiter docetur in *Cap. inauditis 15.* glossa verò jus Episcopale & *Cap. cum olim 18. de præscript.*

180. Est etiam regula, quod incapax possidendi sit etiam incapax præscribendi, unde laicus nequit præscribere Sacra loca, jus spirituale decimandi, jurisdictionem in personas Ecclesiasticas, vel bona Ecclesia *Cap. sacrosanct. de elect.* ubi reprobatur consuetudo contraria ut irrationabilis. *L. qui universas 30. ff. de acquirend. possess.* nisi ex privilegio Papali effectus sit capax jurisdictionis in Ecclesiasticos, aut juris spiritualis decimandi sive decimas Clericales colligendi, unde laicus &c. patronatum non præscribit, nisi possederit tempore exigito ad præsumendum probabiliter fuisse titulum à sede Apostolica concessum, *Laym. L. 3. tract. 1. c. 8. n. 7.*

Item nullus potest præscribere immunitatem à tributis ordinarijs contra Principem, quia his recognoscitur ejus potestas suprema.

Est etiam certa regula, quod nemo plus præscribat, quam possederit, unde vectigalis ex certis rebus non præscribit jus exigendi vectigal absolute, seu ex omnibus rebus *Laym. n. 6.* nisi ex uno actu præsumatur jus totius; exemplum ponit in jurisdictione, sic unico actu E. g. præsentandi Clericum ad Beneficium possessum 30. annis præsumitur totum jus patronatus.

Rursus recepta est regula, quod in rebus, & actibus meræ facultatis, id est, per liberos ac citra obligationem factos præscriptio non introducatur: unde ex

eo, quod Dominus intermiserit à me exigere certa servitia, &c. hic non præscribit (sæpe tamen potest præsumi quod Dominus juri renuntiet, non exigendo tempore, quo fuit opportunitas exigendi, unde ab eo tempore facile potest possessio immunitatis inchoari, sicut etiam est præsumptio pro exemptione eorum, à quibus non fit exactio, dum interea fit ab alijs Laym. *num. 8.* in fine) uti neque contra Vicinum præscribitur, quod E. g. hucusque nunquam domum alius ædificaverit; quia omisio fuit spontanea; quapropter potest imposterum attollere, nisi aliquando ædificare volenti vicinus obstiterit, & is ab hac ædificatione destiterit.

Insuper est Regula communis, quod res jure inalienabiles etiam sint regulariter impræscribiles defectu justitituli: quo pertinent res pupilli, & minorennis incapaces præscriptionis intra longum tempus *L. 3. cod. quibus non objicitur longi temporis præscriptio* secus intra longissimum inchoandum à tempore finitæ ætatis pupillaris *L. 3. Cod. de præscript. 30. annorum.* Eodem spectant res dotales, nisi præscriptio sit inchoata antequam fuerint dotales: item res fideicommissæ subiectæ, censent tamen Doctores non excludi temporis longissimi præscriptionem, quia sermo tantum est de tempore longo. Idem dic de Legatis contra Legatarium Haunold. *tract. 5. n. 363.*

181. Cum annuæ præstationes v. g. decimæ quotannis solvendæ præscribi possint *per num. 179.* quæstio est tam in foro, quam in scholis difficilis, an id procedat duntaxat de præteritis jam cessis, seu illis a quibus jam anni triginta elapsi sunt, vel etiam quoad futuras præstatio-

nes, seu an ipsa etiam obligatio solvendi in futurum post elapsum tempus longissimum sit præscripta v. g. bonâ fide non solvisti decimas 50. annis, quæritur an præscripseris solum decimas primo, & ultimo decennio insolutas (utrasque præscriptas esse certum est, quia respectu utriusque decennij sunt elapsi 40. anni) vel verò etiam intermedijs 30. annis non datas, quia respectu horum nondum est completum tempus 40. annorum.

Hoc secundum negant multi, & affirmant primum ob *L. cum notissimi §. fin. Cod. de præscriptionibus 30. annorum, in obligationibus inquit, quæ dationem per singulos annos vel menses, vel aliquod singulare tempus continent, præscriptionis tempus non ab exordio obligationis, sed ab initio cujusque anni, vel mensis computari manifestum est,* ita Ludovic. Engel ad *lib. 3. decretalium titulo 30. §. 9. n. 47.* cum alijs. Hi itaque putant sensum esse, quod duæ quasi diversæ præscriptiones concurrant, una, quæ præscribitur principali, & generali obligationi respectu omnium præstationum annuarum (hæc præscriptio est computanda, qua primitus cessatum est à solutione *L. penult. C. de præscript. 30. annor.*) altera qua præscribitur obligationi speciali solvendi E. g. decimas vel legata annis singulis; hæc præscriptio est computanda ab annis, vel mensibus singulis, quia tot censentur esse v. g. legata (si quot annis certum legatum est solvendum) quod sunt anni vel menses, ergo singulis annis inchoatur novi legati præscriptio.

Alij cum Martino glossatore in dictam legem concedunt præscriptam præteritarum decimarum, post quas sunt la-

pli anni 40. Secus præscriptionem obligationis solvendi futuras apud Fachinæum. *Lib. 8. c. 9. Mynsing. Cent. 3. Observat. 13. Gaill. Lib. 2. Observ. 73.*

Alij secuti veterem glossatorem Joannem in eandem legem distinguunt inter pensiones debitas ex stipulatione aut alio contractu oneroso affirmantes totum jus etiam pro futuris præstationibus unicâ præscriptione in illis amitti, quia annuus redditus inquirunt, ex tali contractu quaesitus est unus, neganter verò in legatis annuis, & fideicommissis, eo quod legatum annuum non sit unum, sed multiplex, ergo præscriptio unius anni non præscribit legatum alterius anni. Contra hanc distinctionem est expressus textus *L. 7. §. fin. Cod. de præscription. 30. annorum.* Ubi patificantur præstationes ex ultimis voluntatibus debita, cum debitis ex contractu relate ad præscriptionem.

Ob hæc Christophorus Chlengerer in *Disput. juridic. de jure Emphyteutic. Assert. 35.* loquens de Emphyteuta 30. vel 40. annis non solvente canonem se tueri non posse titulo præscriptionis, quia fuit in mala fide *cap. fin. de præscription.* è contra extraneus rem Emphyteuticam bona fide ut suam possidens præscribit ipsum Dominium rectum, proinde in consequentiam etiam pensionem *L. eos Cod. de usur.* Ampliat citatus Doctor contra Fachinæum ad hæredem primi Emphyteutæ in bona fide non solventem ita ut præscribat pensiones etiam annuas futuras. Decisio hæc est conformis juri communi canonico *c. 4. & 6. de præ-*

script. Ubi est statutum non solum jus quartæ quotannis Episcopo solvenda 40. annis præscribi, sed universim etiam jus decimarum tot annis non solutarum extinguui, ergo etiam secundum jus civile hoc tenendum est, cum hoc ab illo clare decisa non dedignetur sequi *C. 1. de novi operis nuntiatione.* Quando Justinianus in ejusmodi annuis obligationibus voluit tempora præscriptionis computari ab initio cujuslibet anni, non est sensus totidem esse præscriptiones, sed unicam, & hanc non vult currere ab initio obligationis, sed ab eo anno, vel mense, quo solutio facta non est *Haunold. num. 369. Resp.* Cum communiore Legistarum apud *Haunold. n. 358.* immunitatem à solvendis annuis censibus, & redditibus spatio 30. annorum non solum quoad fructus cessos, sed etiam quoad futuros ex quovis contractu sive oneroso sive etiã legato, aut fidei commissio debitos præscribi. Ratio prima est à paritate immunitatis solvendi decimas, quæ cum titulo 40. annis præscribitur per *numerum 179.* per hoc enim nullum jus speciale præscribitur, sed solum potestas fructus suos integros percipiendi, ergo reliqui census annis 30. ad horum enim præscriptionem non requirit jus annos 40. sicut ad præscriptionem solutionis decimarum. Ratio secunda est *cit. cap. 4. & 6. de præscript.*

Contra hanc solutionem non est citata lex *cum novissimi* cujus interpretatio est optima relate ex *Haunold.* versu immediate superiori.

